

libellum suum bibliopolæ commendaret, vehementer rogavit, qui schedas ejus fugitivo oculo perlustrans, multaque accentuum loca congesta inveniens, quæ futuris accentuum scrutatoribus non ingrata fore existimavit, ejus precibus annuit. Cum vero præter errores, hinc inde commissos, iniqua etiam judicia de celeberrimis scripturæ interpretibus lata observaret, ea conditione ejus desiderio satisfacere promisit, si ea refecentur, quibus ex iniqua verborum interpretatione inanem litem multis Cl. Viris moverat. Quod ratum habuit Franckius, totumque librum Cl. Viri judicio & censuræ subjecit, lætus, quod ejus impressio speranda esset. Præterea rogavit Cl. Virum, ut Dissertationem præfigeret, & quæ ridiculi scurræ verba erant, lucem nominis sui splendore tenebris suis adderet, quæ impudentissimus mendax, quasi Cl. Viri fuissent in Dissertatione sua §. 2. retulit. Abiit Frankius, secuta est impressio libelli, quam Cl. Vir promiserat, initio facto a præfatione, quam ipse Frankius conscripserat, nimis prolixa. Typographus Frankio multo prudentior prævidens, quod quinque plagulæ præfationem non caperent, correctorem rogavit, ut quædam deleteret, ne sextam plagulam pollueret, exiguusque libellus mugilem præsentaret. Expuncta sunt ergo quædam, & reliqua minutioribus literis impressa, ut conspectus docet. Frankius igitur, si sanum ipsi sinciput fuisset, causam omitti paragraphi veram facile cognoscere potuisset, si modo literas ad typographi ancillam dedisset, vel minutas in fine literas inspexisset. Sed nescio quo animi furore abreptus, diducto in imensum rictu, clamat, quod audacia manus rapacis non exiguam præfationis partem abstulerit. Præterea §. 246. uti ipse Frankius §. 1. Dissert. Anti-Ab. fatetur, *aliorum non satis commoda judicia adduxerat*, h. e. Celeberrimos Viros immerito perstrinxerat, traduxerat, & diffamaverat, quædam Censoris manu expuncta sunt. Vidit enim Cl. Censor, periniquum & non ferendum esse, ut Celeberrimorum Virorum manes ridiculi cerebri vermibus corroderentur. Quæ §. 267. omiſſa refert, ex eadem causa sunt deleta, quoniam Hakspanium, cujus mentem non perceperat, refutare ausus est. Dixerat Hakspanius Sillukum non semper distinguere, h. e. sillukum non semper sensum finire, quod verum & multis locis probatum est. Et hoc ideo dixerat, ut Bellarmini objectionem

onem